

tutorem arbitratu l. » *Qui generaliter*, 2, ff. qui pot. in Pignor.; l. *Si generaliter*, 6, cod. eod. tit.; Carpovius defn. for. part. II, const. 23, defn. 29; Bruneman ad leg. 2, ff. pot., etc. Quod sane non fieret, si plus juris in Hypotheca speciali, quam in generali transferretur.

(76. His tamen obstare videtur l. 3, cod. de serv. Pign. dat. manumis. in qua dicitur, quod servus specialiter obligatus manumitti nequit, secus si generaliter. Textum hunc autem sic explica, quod nequeat manumitti servus specialiter Hypothecatus, quia in cæteris bonis nullam habet Hypothecam Hypothecarius specialis. Ex eo vero permittitur manumissio servi generaliter Hypothecati, quia et in cæteris Hypotheca non deficit, hoc tamen ex favore libertatis, uti explicat Zoes. in cod. lib. VII, tit. 8, et Corvin. pariter in cod. lib. eod., tit. eod. dummodo tamen in cæteris solvendo sit debitor l. 21, ff. de manumiss.

(77. At de pacto hoc antichrestico, sive ut latine sonat: Reciproci usus, vide fuse sub tit. empt. et vendit. Quæri etiam possit, an Hypothecarius generalis, unaque specialis uti possit Hypotheca generali in præjudicium

creditoris posterioris, qui super certa, et expressa re Hypothecæ habet jus constitutum. an potius Hypotheca speciali, qua utens nullum infert posterioribus præjudicium. Pro affirmativa, quod nimirum Hypothecarius generalis uti valeat Hypotheca generali in præjudicium etiam posteriorum stare videtur; Test. in l. *Creditoribus arbitrio*, ff. de dist. Pign., et in l. *moschis*, ff. de jur. fisci, l. *Si generaliter*, cod. qui pot. in Pign. habet, etc., quos tamen limita quando obligatio omnium bonorum qualificatur a speciali pignore, quia tunc debet prius excuti pignus speciale, ad tradita per Molin. de primogen. lib. IV, cap. 7, n. 20 et seqq.; Covarruv. Var. lib. III, c. 18, Merlin. de Pign. lib. IV, quæst. 21, per tot. Rodrig. de Concur. cred. par. II, art. 1, n. 28 et seqq.; Surd. dec. 44, per tot. et decis. 28. cor. Merlin. et decis. 380 coram Royas. Tunc enim Hypotheca generalis dicitur tantum subsidiaria, uti recte explicat Cujac. l. III, Resp. Papinian. in l. 2, qui Pot. in Pign. et in lib. VIII, cod. tit. 13, leg. 1 et 2. Secus enim inutilis foret expressio certi fundi, quem ipsa generalis obligatio amplectebatur, nisi generalem obligationem ista suspenderet, sic Donell. cod. de Pign.

I

IDOLOLATRIA.

Idololatria, ut patet ex nominis etymologia, divinum cultum erga falsos Deos, et creaturam exhibens, est peccatum quidem semper gravissimum; vide Verbum Superstitio, n. 8 et 9, ubi dicitur quid et quotuplex sit quomodo et quando opponatur fidei, et religioni, necnon de excommunicatione in bulla Cænæ ob eandem idololatriam quando incuratur.

IGNORANTIA.

SUMMARIUM.

1. Ignorantia in genere quid sit. — 2. Ignorantia ut sic dividitur in positivam, privativam et negativam et quæ singulæ sint. — 3. Ignorantia et nescientia differunt, et quomodo. — 4. Ignorantia privativa dividitur in ignorantiam juris, facti et pœnæ, et quæ singulæ sint. — 5. Ignorantia rursus dividitur in antecedentem, concomitantem et subsequentem, et quæ singulæ sint. — 6. Ignorantia dividitur ulterius in invincibilem et vincibilem, et quæ utraque sit. — 7. Ignorantia vincibilis subdividitur in affectatam et non affectatam, et quæ utraque sit. — 8. Ignorantia non affectata alia est crassa et supina, et alia non non crassa nec supina, et quæ utraque sit. — 9. Ignorantia invincibilis juris divini excusat a peccato. — 10. Etiam ignorantia invincibilis juris naturæ excusat operantem ab omni peccato. — 11. Ignorantia invincibilis non solum juris sed etiam facti excusat omnino a culpa. — 12. Ignorantia invincibilis, non solum antecedens, sed etiam concomitans, excusat a peccato. — 13. Ignorantia vincibilis, sive antecedens, sive concomitans non excusat a peccato. — 14. Ipsa vero ignorantia vincibilis, quamvis non excuset a culpa in toto, minuit tamen in parte. —

(1. Ignorantia in genere, nomine et re nihil aliud est quam carentia notitiæ, seu cognitionis alicujus rei. (2. Communis Ignorantia, ut sic, dividitur in positivam, privativam et negativam. Ignorantia posi-

15. Magis minuit culpam ignorantia non crassa nec supina, quam crassa et supina. — 16. Ignorantia affectata, nedum minuit culpam, sed potius eam auget. — 17. Ignorantia invincibilis, tam juris quam facti, sicuti excusat ab omni culpa, ita etiam excusat et liberat ab omni pœna per leges positivas decreta. — 18. Etiam ignorantia facti, aut ipsius juris statuente pœnam, vincibilis et culpabilis quæcumque non crassa, vel supina excusat a pœna per legem decreta. — 19. Non excusat tamen a pœna per legem decreta ignorantia juris vel facti crassa, vel supina. — 20. Ignorantia, sive vincibilis, sive invincibilis solius pœnæ, et non juris, vel facti, non excusat ab ipsa pœna transgressores legis eam statuente, excepta pœna censurarum. — 21. Ignorantia censurarum excusat ab eis incurrendis. — 22. Ignoranti non currit tempus. — 23. Ignorans, et qui dicitur impeditus æquiparantur. — 24. Et quidem dicitur impeditus impedimento juris, et facti. — 25. Ideoque ignorantia tanquam impedito est subveniendum. — 26. Imo respectu rei ignoratæ consideratur tanquam res inanimata. — 27. Nec præstat consensum. — 28. Nec itidem censetur remittere jus suum. — 29 ad 59. De ignorantia juris et facti.

tiva, seu parvæ dispositionis est carentia notitiæ, seu cognitionis veritatis cum positivo contrario errore. Talis ignorantia datur in Judæis, hæreticis et paganis qui non solum alicujus veritatis præsertim supernatu-

ralis cognitionem non habent, sed insuper erronee judicant rem aliter esse ac revera est. Ipsi enim non solum v. g. ignorant Christum esse Deum, sed insuper erronee judicant esse purum hominem. Ignorantia privativa, seu meræ privationis, est privatio, seu carentia scientiæ eorum quæ quis ex natura et conditione sua aptus natus est scire, ut si homo adultus et rationis compos ignoret ea quæ secundum statum suum scire posset. Ignorantia negativa, seu puræ negationis, est carentia notitiæ in subjecto non apto habere talem notitiæ, vel ex natura sua, ut ignorantia Dei in lapide; vel ex statu suo, ut talis ignorantia Dei in amente et infante. Et talis ignorantia ex S. Thoma 1, 2, quæst. 76, art. 2, non est appellanda proprie ignorantia, sed *nescientia*. (3. Unde, ut vides, *nescientia* et ignorantia, licet quandoque promiscue una pro alia accipiatur, tamen differunt; Cod. per quas personas nobis acquir. l. II, Cod. de rei uxor. action. l. I. § 1. Qui enim nescit experiendi potestatem non habet, teste Cajo, in l. annus, de calum. Ignorare autem est id nescire quod sciri potest, vel etiam debet. Hinc nescire latius patet quam ignorare; quippe omnis qui ignorat nescit, sed non e contra; Calvin. in lexico juridic. verb. *Nescire*. Qui ibid. sub verb. *nescientia* subjungit: et dici potest, quod nescientia differat ab ignorantia, quia ignorantia est eorum quæ scire tenemur. Nescientia vero eorum quæ scire non tenemur; unde ignorantia in malam partem, nescientia vero in bonam partem sumitur; Gloss. l. de statu, de testament. glos. Rubr. de jur. et fact. ignorantia. Hæc ille (62).

(4. Ignorantia privativa dividitur in ignorantiam juris, in ignorantiam facti, et ignorantiam pœnæ. Ignorantia juris est qua quis ignorat jus, seu legem, aut præceptum quod rem aliquam vetat, aut præcipit, ut quando ignoratur lex, seu præceptum quo prohibetur furtum, aut quo præcipitur jejunium. Ignorantia facti est qua quis ignorat non quidem legem, aut præceptum, sed actionem in particulari esse contra legem, aut præceptum, ut si quis nesciat carnem esse quam comedit die jejunii, vel non advertat, aut recordetur esse diem jejunii, nam nomine ignorantia comprehenduntur etiam inadvertentia, inconsideratio, et oblivio Ignorantia pœnæ est qua quis ignorat pœnam latam in delinquentes, ut si quis ignoret excommunicationem latam in injicientes manus violentas in clericis, in simoniacos, et hujusmodi.

(5. Ignorantia rursus dividitur in antecedentem, concomitantem et subsequentem. Ignorantia antecedens est quæ præcedit factum et omnem voluntatis actum circa illud ac proinde nullo modo, nec directe, nec indirecte est voluntaria, estque aliquo modo causa cur fiat opus, in quantum removet

(62) Sive ut S. Thomas loc. cit. Ignorantia in hoc a nescientia differt quod nescientia dicit simplicem scientiæ negationem: unde cuicumque deest aliquorum scientia potest dici nescire illa: secundum quem

scientiam quæ si adesset, opus non fieret; talis ignorantia est in venatore qui existimans occidere feram interficit hominem, quem nullatenus occidisset, si esse hominem scivisset. Ignorantia concomitans est quæ concomitanter se habet ad actum voluntatis, et nec movet ad operandum, nec removet ab operatione, sed ita afficit operantem ut eodem modo operaretur si talis ignorantia abesset; unde actum voluntatis nec antecedit, nec sequitur, sed tantum concomitanter se habet ad illum, ut cum venator ille pro fera inimicum suum non de eo cogitans interficit, quem tamen occidisset si novisset esse suum inimicum. Ignorantia subsequens est quæ a voluntate directe, vel indirecte est volita, adeoque sequitur illam ut ejus effectus, estque simpliciter voluntaria, et culpabilis: Talis ignorantia directe, seu indirecte volita reperitur in illis qui, vel expresse ignorare volunt, vel non curant, et debent, addiscere ea quæ scire possunt et tenentur.

(6. Ignorantia dividitur ulterius in invincibilem et inculpabilem, et in vincibilem et culpabilem. Ignorantia invincibilis et inculpabilis est quæ morali diligentia vinci, vel tolli nequivit, utpote quia vel nunquam venit in mentem cogitare, vel dubitare de tali re, vel etiamsi in mentem venisset, tamen morali et ordinaria adhibita diligentia, ignorantia illa vinci, seu tolli, et veritatis cognitio acquiri non potuisset; et hæc simpliciter non est voluntaria nec directe nec indirecte, ideo etiam dicta antecedens, quia omnem actum voluntatis antecedit. Ignorantia vincibilis et culpabilis est quæ morali adhibita diligentia vinci ac superari, et opposita scientia acquiri potuisset et debuisset, et hæc ignorantia semper est aliquo modo voluntaria directe, vel indirecte, ideoque etiam dicta subsequens quia actum aliquem voluntatis subsequitur.

(7. Ignorantia vincibilis et culpabilis subdividitur in affectatam et non affectatam, quæ inter se differunt, quod illa directe voluntaria sit, et hæc indirecte, ut cum S. Thoma 1, 2 quæst. 76, art. 3, observant passim doctores. Hinc ignorantia affectata et directe voluntaria est, cum quis data opera vult ignorare et non inquirere veritatem, sive ob discendi tædium ac pigritiam, sive ut legis obligatione ignorata vel excusationem aliquam mereatur a transgressione legis, vel liberius sine remorsu conscientia peccare possit, de quo regius Psaltes psal. XXXV, ait: *Noluit intelligere, ut bene ageret*; et Job c. XXI, legitur: *Qui dixerunt Deo, recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus*; et S. Thom., cit. q. 77, art. 1, in corpore dicit, quod « talis ignorantia videtur augere voluntarium, ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult subire ignorantiaæ damnum propter libertatem peccandi. » Ignorantia non affectata et

modum Dionysius in angelis nescientiam ponit, 7 capit. cælest. Hierarchiæ; ignorantia vero imperat scientiæ privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum quæ ipsa natus est scire. (EDIT. BARR ELL.)

indirecte tantum voluntaria est cum quis, non quidem vult ipsam ignorantiam in se, sed solum non vult adhibere sufficientem ac debitam diligentiam inquirendi ac cognoscendi veritatem; ideoque eo ipso indirecte velle ignorantiam convincitur. (8. Et hæc ignorantia alia est crassa, seu supina, ad quam superandam veritatemque cognoscendam nulla prorsus diligentia, vel cura adhibita est, qualis plerumque esse solet ignorantia earum rerum quæ communiter ab ejusdem status vel conditionis hominibus cognoscuntur, vel etiam cognosci debent; et alia est non crassa, nec supina, ad quam tollendam aliqua quidem, sed tamen non sufficiens diligentia est adhibita, seu ea est quæ non tam facile superari et tolli potuit.

(9. Ignorantia invincibilis juris divini excusatur a peccato; communis ac certa, et habetur expresse ex Joan. xv, ibi: *Si non venissem et locutus fuisset eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato.* Unde S. Pius V. die 1 Octobris 1567 const. incip. *Ex omnibus*, merito damnavit inter alias propositiones Michaelis Baii sequentem 68, in ordine: « Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est prædicatus peccatum est, » quam damnationem confirmavit Gregor. XIII die 29 Januar. 1579, constit. incip. *Provisionis nostræ*; et Urban. VIII die 6 Martii 1641, constit. incip. *In eminenti*. (10. Etiam ignorantia invincibilis juris naturæ excusatur operantem ab omni peccato; communis. Unde Alexander VIII die 7 Decemb. 1690, inter alias merito damnavit sequentem propositionem, 2 in ordine: « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusatur a peccato formali (63). »

(11. Ignorantia invincibilis non solum juris, sed etiam facti, excusatur omnino a culpa, quia ubi non est voluntarium, uti in ignorante ignorantia invincibili tam juris, quam facti, ibi nulla est culpa: Ita S. Augustinus, lib. 3 de liber. arbit., c. 18, et lib. de duabus animabus, cap. 10 et 11. S. Thom., 1, 2, qu. 76, art. 4. S. Bonaventura, 2 sent. d. 2, art. 2, qu. 3, et communis aliorum. (12. Ignorantia invincibilis non solum antecedens, sed etiam concomitans excusatur a peccato; Ita Suarez de censur. disp. 4, sect. 8. Vasquez, disp. 123, c. 2. Sanchez, lib. 1 moral., c. 16, n. 13. Azor., lib. 1, c. 14, q. 4. Laym., li. 1, tr. 2, c. 5, n. 8. Card., lib. 11, q. 19. Reiffenst., Theol. moral. tr. 5, dist. 1, q. 5, n. 43. Sporer., tom. I, tract. 1, pœnial. c. 2, sect. 4, n. 33, ubi testatur de communi con-

(63) Huic propositioni nectenda hæc altera propositio: Nullus hominum compos sui invincibili ignorantia juris naturæ laborat; id docet Apostolus illis verbis ad Rom. c. 11, v. 15: « Gentes, quæ legem (scriptam) non habent, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. » Ex quibus verbis S. Augustinus l. 11 de serm. Dom. in Monte. 9, infert nullam esse animam quæ tamen ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus; » Videsis, P. Jo. Laur. Berti de Theol. Discipl.

tra Cajetanum, Covarruv. Sayrum et alios. Et ratio est, quia ignorantia invincibilis etiam concomitans tantum, et non causans opus, vere et invincibiliter reddit inecognitum, et consequente involuntarium id quod cum tali ignorantia agitur; sed ubi non est voluntarium ibi non est culpa: ergo qui invincibiliter hominem ignorat esse quem pro fera occidit, quamvis nihilominus occidisset si antecederet cognovisset esse suum inimicum, nullam incurrit culpam; Deus enim non imputat homini peccata quæ faceret si hoc vel illud in mentem ei veniret, sed divinæ gratiæ ascribendum est quod in animo de facto non incidat, ut ex S. Augustino recte docent Suarez tom. II, de relig., lib. 11 de juramento, c. 6, n. 6. Sanchez, l. 11, moral. cap. 5. Layman loc. cit. num. 8. Sporer. loc. cit. num. 33. Tum quia licet actus, homicidii, v. g. factus cum ignorantia concomitante tantum habuerit adjunctum effectum, vel propositum adhuc occidendi etiamsi cognovisset esse hominem suum inimicum, vel, postea comperto revera fuisse hominem suum inimicum, sequatur gaudium, complacentia et approbatio manent quidem illa voluntaria, et peccata seorsim homicidii interni: et ipse actus, ut homicidii externi, sicuti de facto est incognitus, ita est non voluntarius et consequenter non peccaminosus, quod optime tradidit Sotus tract. de ratione evadendi peccata, lect. 2, ibi: « Ignorantia concomitans, nec excusatur, nec excusatur, cum nec voluntaria sit, nec involuntaria. Itaque occisio inimici, dum putatur occidi feram, non fuit tunc peccatum, quia non est voluntaria, erit tamen peccatum quando opus placuerit. »

(13. Ignorantia vincibilis sive antecedens, sive concomitans, non excusatur a culpa, cap. 1 de ordinat. ab episcop. qui renunciavit. episc., et cap. apostolicæ, de cleric. excomm. ministr. S. Thomas 1, 2, q. 76, art. 4; et alii communiter. Quod enim fit ex ignorantia, vel cum ignorantia vincibili, est voluntarium, adeoque peccaminosum. (14. Ipsa vero ignorantia vincibilis saltem non affectata, quamvis non excuset a culpa in toto, minuit tamen in parte communis. (15. Et ratio est, quia actus quanto minus est voluntarius tanto minus est peccaminosus; actus autem procedens ex ignorantia licet vincibili, etiam crassa vel supina, saltem non affectata, est minus voluntarius, ut de se patet, quam actus procedens ex scientia adeoque licet talis ignorantia vincibilis non excuset a culpa in toto, minuit tamen in parte; et quidem

lib. 21, cap. 10, et si libet, etiam Jo. Gotth. Heineccium jur. nat. et gent. l. 1, c. 1. (NOTÆ EX ROM. EDITIONE.) (a)

(a) Ceterum Berti *ibid.* profitetur se circa consequentias juris naturæ censere ignorantiam invincibilem esse admittendam . . . quod conclusiones juris naturæ remotiores deducuntur ex principiis longiori, implexoque discursu quem rudes quamplurimi etiam ordinarii gratiæ adjumentis non destituti efformare nequaquam valent, ut in multis ad usuram, et matrimonii impedimenta spectantibus non perraro contingit. (EDIT. BARBELL.)

proportionabiliter, quanto minus est voluntaria ignorantia et culpabilis, eo minus erit peccaminosus actus ex ipsa procedens. Hinc magis minuit culpam ignorantia non crassa nec supina, utpote minus voluntaria, quam ignorantia crassa et supina, utpote magis voluntaria, ut patet ex traditis supra num. 8. (16. Notanter autem fuit dictum saltem non affectata, quia ignorantia affectata nedum non minuit culpam, sed potius auget quam minuit voluntarium. Ipsa enim adeo adhæret peccato ut etiam pro majori libertate sine ullo conscientiæ scrupulo peccandi horreat scientiam avocantem a peccato, ut patet ex Job xx, ubi consimiles impij affectati ignorantantes dixerunt Deo: *Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolimus*, et alias apud regium Psaltem psal. xxxv. *Noluit intelligere, ut bene ageret*, et sic notavit S. Gregorius lib. xxv Moral. cap. 11, et docuit S. Thomas citat. q. 76, art. 1, in corpore, per præcisa verba adducta sub num. 7, et tenent Corduba lib. 1, quæst. 20; Navarr. in cap. *Sciendum* 4, d. 2. de pœnit.; Sanchez lib. 1 Moral., cap. 17, num. 5; Castro lib. 11 de Lege pœnali, cap. 14; Layman loc. cit. num. 9, et alii passim.

(17. Ignorantia invincibilis tam juris quam facti, sicuti ex dictis sub numer. 11, excusatur ab omni culpa, ita etiam excusatur et liberatur ab omni pœna per leges positivas decreta: Communis, ex c. *Nullus*, et cap. *Quis locus* 1, quæst. 4. Cum enim pœna decernatur propter culpam, cessante culpa tanquam causa, cessare etiam debet pœna tanquam effectus. Sic v. g. qui percussit clericum invincibiliter ignorans eam percussorem esse ab Ecclesia prohibetur sub pœna excommunicationis in cap. *Si quis suadente Diabolo* 29, caus. 17, q. 4. aut nesciens vel non advertens illum esse clericum, sine dubio non incurrit pœnam excommunicationis, textu expresso in c. *Si vero* 4, de Sent. excomm. et cap. *Ut animarum periculis* 2, de Constitutionibus, in 6. (18. Etiam ignorantia facti aut ipsius juris statuentis pœnam, vincibilis et culpabilis quæcumque non crassa, vel supina, excusatur a pœna per leges decreta. Ut si in allato exemplo dubitans, vel suspicans forte esse clericum absque sufficienti inquisitione et diligentia credat non esse, et percutiat, non incurrit excommunicationem, et sic in similibus; Communis, textu expresso in cit. cap. *Ut animarum periculis* 2, de Constitutionibus, in 6 ibi: « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari

(64-68) Ne putes, lector, quamcumque ignorantiam excusare hominem a censura, nam si affectata sit ignorantia, quæ scientiæ æquivalet, a censura hominem non excusatur, ut optime advertit Suarez disp. 4, sect. 10. Quamobrem graviore theologi ut falsam et laxam Salmantiensium opinionem rejiciunt, quæ immunem a censura efficit hominem qui ignorantiam affectat, ut liberius et impudentius peccet. Imo, si generalia sint canonum statuta, quæ ab omnibus sciri et custodiri debeant, quo in casu invincibilis ignorantia censura legi universali annexæ præ-

FERRAR. IV.

nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. » (19. Ubi ut vides, a pœna per legem decreta non excusatur ignorantia juris vel facti, crassa vel supina, ibi: « Dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. » Communis.

(20. Ignorantia sive vincibilis, sive invincibilis solius pœnæ et non juris vel facti, non excusatur ab ipsa pœna transgressores legis eam statuentis, excepta pœna censurarum. Qui enim non ignorat legem latam, seu factum aliquod lege esse prohibitum; ignorat autem annexam pœnam; si in illam legem prævaricetur, non culpæ solum, sed etiam pœnæ reus efficitur. Sic Covarruvias, in cap. *Alma mater* p. 1, §. 10. num. 9; Sotus in 4. dist. 6, qu. 8; Azorius part. 1, lib. 1, cap. 15, qu. 1 et 2; Jul. Clarus §. fin. qu. 85, vers. *Secundus est casus*; Herinex, part. 11, tract. 3, disp. 5, qu. 3, num. 28 et 29; Layman, lib. 1, tract. 4, cap. 20, num. 6; Molina, tr. 5, disp. 71, num. 9; Sanchez, lib. 11, de Matrim., disp. 32, num. 21; Reiffenstuel, lib. v Decret. tit. 3, §. 13, n. 321; Sporer, loc. cit., numer. 29, et alii passim contra paucos quosdam apud Tamburin. lib. 1 in decalog., c. 2, §. 1, num. 12. Et ratio est quia ignorantia solius pœnæ non tollit causam pœnæ, id est culpam, ergo nec effectum, seu ipsam pœnam. Tum quia universali praxi omnium tribunalium ecclesiasticorum, tum laicalium constat malefactores, et legum transgressores variis affici pœnis rotæ, patibuli, gladii, combustionis, exsili, quamvis invincibiliter ignorent delicta a se committenda et commissæ pœnis hujusmodi subjacere (64-68) (21. Dicitur autem notanter « excepta pœna censurarum, » quia ex communi omnium sententia, ignorantia censurarum excusatur ab eis incurrendis, quamvis cæteroquin contra legem agendo, gravissime quis peccet. arg. cap. *Si vero* 4, de Sent. excomm. et cap. *Ut animarum periculis* 2, de Constitutionibus, in 6. Ad incurrendum enim censuras requiritur contumacia; hæc autem non adest, ubi ignorantia censurarum habetur, adeoque, etc. Navarr. in Manual. cap. 27, numer. 274; Silvest., verb. *Ignorantia*, num. 14; Reiffenstuel, lib. v Decretal., tit. 3, num. 323, et tit. 39, numer. 31; Sanchez l. c. n. 13; Sporer l. c. n. 39; Layman, lib. 1, tract. 4, p. 1, c. 5, n. 8, et alii complures.

(22. Ignoranti non currit tempus, Innocent. in cap. *Ne pro defectu*, n. 2 de election. Calder. Consil. 566. Mandavit alios 37 de testam in fin.; Baldus Cons. 92, *Quædam* in prin-

sumi non potest, non adeo facile a censura immunis declarandi erunt ignorantia prætextu harum legum transgressores. Quis enim a censura eximeret illum qui duellum committeret, sciens ab Ecclesia prohibitum esse, quia ignorat huic prohibitioni annexam esse censuram? Quia ergo difficile est dari ignorantiam invincibilem talis censura, idcirco ejusmodi ignorantia si esset in casu, petere absolutiorem deberet, inquit cl. auctor theologiæ Christianæ

NOTA ROM. THEOL.

cip. lib. i, Fagnan. lib. iii Decretal., in cap. *Significatum est* 11, de Regularibus, num. 18. (23. Ignorans et impeditus æquiparantur, Rota recent. part. ii, dec. 662, num. 9 in fin. (24. Et quidem dicitur impeditus impedimento juris et facti. Annot. ad dec. 3 sub num. 17, par. iii, Rot. recent. (25. Ideoque ignorantia tanquam impedito est subveniendum; ibid. num. 18. (26. Imo respectu rei ignoratæ consideratur tanquam res inanimata, ibid. sub num. 11. (27. Nec præstat consensus, Annot. ac dec. 10, num. 26, part. iii. (28. Nec itidem censetur remittere jus suum, et sic renuntiare, donare et repudiare; Annot. ad dec. 1, num. 50 et 51, part. viii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Ignorantia est simplex negatio scientiæ. At si quis formavit de re perversam ideam, est potius error. Plerumque vero confundi solent.

(30. Ignorantia vel est juris, vel facti; et hæc vel facti alieni, vel facti proprii.

(31. Notissima autem est regula, ignorantiam juris nocere, l. 9 princip., ff. de Jur. et facti ignorant. (32. Sed ne in errores incidamus, distinguendum inter lucrum et damnum. In lucro ignorantia juris utique nocet, sed excipiendi sunt minores: l. 11, c. Eodem, et milites l. 9, § 1, ff. Eodem. Damnum est, distinguente Donello Comment. jur. civil. lib. i, cap. 1, vel rei amissæ, vel rei amittendæ, in damno rei amissæ pariter ignorantia juris nocet, sed excipi debent non solum minores, verum et feminæ: l. ult. c. Eod. tum rustici, l. 2 in fin. de Jure fisci. In damno vero rei amittendæ omnibus non, id est nulli nocet, l. 8, ff. Eod. Exempla tradit Donellus ubi supra.

(33. Hæc obtinent secundum jus Romanum. Cæterum dubitari hodie solet, an juris ignorantia noceat in casibus illis, in quibus de jure Romano nocebat. (34. Duplex a jure Romano assignatur ratio cur ignorantia juris nocere debeat. Prior, « quia jus (ut ait Jurisconsultus in l. ii, ff. Eodem) est finitum, et possit esse, et debeat. » Sed non male respondet Schilter, in Prax. jur. Roman. ex. 24, § 34: « Jus hodie minus est finitum, recepto præter patria jura etiam Romano, et pontificio, et utroque in lingua peregrina descripto, variisque interpretum opinionibus et dissensionibus diffuso. » Altera, quod consulendi

ILLEGITIMUS.

Vide verb. FILIUS.

IMAGINES.

SUMMARIUM.

1. Imago quid sit. — 2. Licitum est in nova lege Deum et sanctissimam Trinitatem depingere, et representare in forma corporea et visibili. — 3. Hæc assertio, quamvis sine temeritate negari non possit propter universalem Ecclesiæ consuetudinem, tamen non est de fide. — 4. Certissimum vero est non posse depingi Deum ad representandam ejus veram natu-

ram, formam aut figuram. — 5. Licitum est etiam depingi, vel sculpi angelos in forma corporea visibili. — 6. Catholica fide tenendum est certe depingi posse imagines Christi Domini, beatæ Virginis Mariæ et aliorum sanctorum, tum memoriæ, tum venerationis causa. — 7. Adducitur ad hoc textus concilii Tridentini. — 8. Imagines D. N. Jesu Christi, et Deiparæ V. Mariæ, ac angelorum, apostolorum, evan-

gelistarum, aliorumque sanctorum et sanctarum nequeunt sculpi, aut pingi cum habitu peculiari alicujus Ordinis regularis, seu alio modo in Ecclesia catholica inconsueto; et jam sic sculptæ et pictæ prohibentur teneri, et publico aspectui exponi, et mandatur ab ecclesiis et ab aliis locis quibuslibet amoveri, et deleri sub gravissimis pœnis. — 9. Imago Christi non est representanda in agno, sed in figura humana. — 10. Imagines sanctorum non sunt pingendæ habitu profano vel indecentiam aut inhonestatem præferente, et ordinarii judicant in hoc etiam exemptos. — 11. Imagines sanctorum non sunt pingendæ cum procaci venustate. — 12. Imagines lascivæ in ecclesiis non sunt tolerandæ. — 13. Imagines sacræ pingi non possunt in ecclesia inconsulto parochi. — 14. De novo non sunt collocandæ imagines in ecclesiis etiam exemptis, nisi ex episcopi probatione. — 15. Imagines sanctorum, qui a Sede apostolica non sunt canonizati, vel beatificati, non possunt pingi cum radiis et splendoribus; nec aliud quod cultum indicet potest illis tribui. — 16. Imagines præfatas sic pingentes ab episcopo et inquisitore sunt judicandi, et quas pœnas incurrant. — 17. Imagines istorum hominum, si ad ecclesias deferuntur, debent teneri loco secreto, donec a Sede apostolica super illis fuerit aliquid constitutum. — 18. Tales imagines pingi et retineri nequeunt, etiam si fuerint eorum qui cum opinione sanctitatis mortui sunt. — 19. Tolerari non debent in locis publicis et sordidis stent depictæ diversæ cruce, ac sanctorum imagines in derisum Christianæ religionis. — 20. In choro teneri non debent aliæ imagines quam sanctorum. — 21. Imagines illorum, qui cum sanctitatis seu martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in oratoriis, vel ecclesiis tam secularibus, quam regularibus, antequam declarentur beati, neque ad eorum sepulchra accendendæ sunt lampades, aut tabellæ affigendæ sine licentia Sedis apostolicæ. — 22. Non ideo tamen præjudicandum erit in aliquo illis qui, aut per communem Ecclesiæ consensum, aut immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, et tolerantia Sedis apostolicæ vel ordinarii, coluntur. — 23. Sacræ imagines Dei, Christi, angelorum, et sanctorum licite et sancte coluntur et adorantur. — 24. Adducitur probatio ex Scriptura. — 25. Adducitur probatio ex ratione. — 26. Imagines quæcumque nequeunt coli cultu absoluto, sed solum respectivo. — 27. Hinc imagines sanctorum coluntur cultu dulci respectivo; imagines B. V. Mariæ cultu hyperdulci respectivo; imagines Dei, Christi, ejus crux, sudarium, hujusmodi cultu laici respectivo. — 28. Imagines non adorantes sunt hæretici, et anathema est contrarium dicens. — 29. Imagines sanctorum non sunt violandæ, et illas violantes, vel prosternentes sunt graviter puniendi. — 30. Imaginum usus est maximæ necessitatis et utilitatis in Ecclesia. — 31. Imagines etiam in veteri lege fieri solite erant, et adoratæ erant. — 32. Lege nova fuerunt imagines in usu usque a tempore apostolorum, et in concilio Antiocheno tempore eorundem celebrato statutum fuit imagines sanctorum esse depingendas et adorandas. — 33. Primi Christiani imagines apostolorum sibi fieri

est Filius Patris, et talis naturam humanam assumpsit; Spiritus sanctus in forma columbæ, quia talis apparuit; *Communis catholicorum* ex universalis usu et praxi Ecclesiæ, et desumitur ex sacra Scriptura, qua constat Deum ipsum hominibus apparuisse in forma corporea et visibili. *Genes. iii*, apparuit Adæ tanquam homo deambulans ad auram post meridiem. *Genes. xviii*, apparuit Abraham in specie trium virorum. *Genes. xxviii*, Ja-

eurabant. — 34. Afferitur oblectio hæreticorum ex Scriptura. — 35. Solvitur talis oblectio. — 36. Imaginis in translatione ex uno loco Ecclesiæ ad alium locum ejusdem Ecclesiæ non habet locum concilium Tridentinum, session. 25, can. 27, de reform. — 37. Imagines devotæ non possunt ex una in aliam Ecclesiam transferri sine beneplacito Apostolico, et sic translatae non sustinentur. — 38. Inscriptiones omnes imaginum SS. Francisci, et Antonii de Padua, in quibus asseritur talem formam habitus esse eandem, qua ipsi usi fuerunt, etc., interdicuntur. — 39. Suspenduntur quoque et prohibentur imagines S. Augustini, et S. Nicolai de Tolentino, et aliorum sanctorum ejusdem Ordinis impressæ, et depictæ a fratribus discalceatis Augustinianis in eorum habitu; ex post tamen fuit revocata dicta suspensio et prohibitio. — 40. Non debet ad quamcunque sanctam imaginem impediri concursus. — 41. Dummodo non publicentur miracula prius non approbata. — 42. Si imagines publicantur miraculosæ absque interventu ordinarii, ipse debet eas claudere, informationes capere, Romamque transmittere. — 43. Administratio oblationum imagini factarum in usus aliquam parochiam etiam regularium existenti spectat ad ordinarium, qui eas erogabit in ecclesia inibi ædificanda, et alios pios usus. — 44. Urbanus VIII comburi jussit imaginem cum tribus buccis, tribus nasibus, et quatuor oculis, et alias si quæ inventerentur similes; hæc enim nova inventio representandi sanctissimam Trinitatem tolerabilis non videtur. — 45. Translatio imaginis non miraculosæ private est faciendæ. — 46. Imago beati pingitur cum radiis tantum, canonizati vero cum diademate circa caput. — 47. In altari in quo exponitur SS. sacramentum pro oratione 40 horarum cooperiendæ est quæcumque imago, aut statua ibi existens, nec sunt ponendæ sanctorum reliquiæ, aut eorundem statuæ, nec figuræ animarum purgatorii, etiam in particularibus expositionibus pro eorundem suffragio factis. — 48. An imago, et statua B. M. V. ac aliorum sanctorum deferri possit in processionibus cum baldachino et intortitiis? remissive. — 49. Afferitur breviter historia miraculosissimæ imaginis B. M. V. asservatæ in altari majori ecclesiæ Araceli-tanæ urbis. — 50. Eadem est quam detulit processionaliter S. Gregorius Maximus tempore maximæ pestilentiæ in urbe grassantis. — 51. Ad conspectum hujus miraculosissimæ imaginis statim cessavit maxima illa pestilentia. — 52. Et auditæ sunt in aere angelicæ voces cantantes antiphonam « Regina cæli, lætare, alleluia, » cui S. Gregorius statim adjunxit: « Ora pro nobis Deum, alleluia. » — 53. Ac in perennem memoriam tam insignis miraculi, et perpetuam gratiarum actionem tanti recepti beneficii, quoties in publicis supplicationibus transeundum est per pontem S. Angeli hujus miraculi locum, religiosi Aracelitani conventus semper et soli cantant supradictam antiphonam « Regina cæli » ibi ab angelis tunc cantatam. — 54. Alia ad rem, remissive. — 55 ad 76. Imagines licitæ vel prohibitæ. — 77. Imagines plurium sanctorum apponi possunt in altari. — 78 ad 79. De imagine S. Antonii. — 80. Sollicitudo SS. imaginum spectat ad episcopum. — 81. Remissive.

(1. Imago proprie definitur figura picta, vel sculpta vere representans aliud, cujus est imago, quæ differt ab idolo, quod falsum quid representat, ut imago chimera. (2. Licitum est in nova lege Deum et sanctissimam Trinitatem depingere, et representare in forma corporea et visibili, v. g. divinus Pater in forma viri senis, quia est Antiquus dierum, et principium aliarum personarum; divinus Filius in forma viri juvenis, quia

est Filius Patris, et talis naturam humanam assumpsit; Spiritus sanctus in forma columbæ, quia talis apparuit; *Communis catholicorum* ex universalis usu et praxi Ecclesiæ, et desumitur ex sacra Scriptura, qua constat Deum ipsum hominibus apparuisse in forma corporea et visibili. *Genes. iii*, apparuit Adæ tanquam homo deambulans ad auram post meridiem. *Genes. xviii*, apparuit Abraham in specie trium virorum. *Genes. xxviii*, Ja-